



Disputatio juridica inauguralis de hereditatis petitione

<https://hdl.handle.net/1874/345776>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
D E

HEREDITATIS PETITIONE.

Q V A M,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Lingue Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subjicit

LUCAS van VOORST, ULTRAJECT.

Ad diem 1. MAI, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, 1693.

D O M I N O
D. EDUARDO

V A N

VOORST, J. U. D.

Trajectinæ civitatis quon-
dam Senatori & Scabino ,
parenti , Filiali pietate co-
lendo.

*Hanc dissertationem Juridicam
Inauguralem*

sacram facit

LUCAS VAN VOORST.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

HEREDITATIS PETITIONE.

C A P U T I.



Uoniam de hereditatis petitione differere fert animus, operæ pretium fecisse mihi video, si priusquam ipsam petitionem instituam, variam quam *hereditas* in jure nostro recipit significationem exhiberi imprimis curem: vocis autem etymologiam sive ab *hero* seu *are* vel aliunde quæsitam (vix enim inter authores convenit) tanquam incertam multa disputatione magis dubiam reddere haud conabor.

Hereditatem itaque in juris disciplina bifariam potissimum accipi putem; i. quidem pro *jure reali*, quod *hereditatis, dominii, successionis, hereditarii quoque juris* nomine passim veniens *heredi*, vindicandæ *hereditatis* causa, *hæreditati* tribuit petitionem; siquidem *hereditas nihil aliud est quam successio in universum jus quod defunctus habuit ut Gajo definitur in l. 24. ff. de verb. sign. item Juliano in l. 62. ff. de Reg. 7.* Notandum tamen quod in utroque textu jus illud reale sive *hereditas* metonymice dicatur *successio*, Pro *jure* nempe *successione* seu *aditione* jam quæsito; confirmat id hæc *jurisconsultorum locutio* minime infrequens, sic enim servitus dicitur *constitutio*. l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. §. 2. *Inst. de jur. pers.* id est conditio *jure gentium* constituta: simili modo *thesaurus alibi* dicitur *pecunia depositio* l. 31. §. 1. ff. de acq. rer. dom. Satis tamen torsit interpretum ingenia

4 DISPUTATIO IURIDICA

vox hæc parum intellecta, pro diverso captu diversum sortita sensum: quibusdam namque *succesio* in dictis legibus habetur *causa* seu *titulus* acquirendæ hereditatis; aliis iterum erit *fælsum succedendi*, invita prorsus jurisprudentia, quippe quæ causam seu titulum ex quo hereditas acquiritur, alium haud agnoscit quam legem vel defuncti iudicium l. 3. §. 2. ff. *prosec.* §. ult. *Inst.* per quas pers. *cuique* acq. neque *succedere* hereditatis vel juris, sed heredis & facti esse, neminem opiner, qui jus Civile vel à limine salutavit, latere potest, cum heredes semper dieantur succedere & successores l. 170. ff. *verb.* sign. l. 20. ff. *de acq.* *vel omitt.* hered. §. 5. & 6. *Inst.* de hered. *quali.* & *diff.*

Sunt etiam qui successionem hic interpretantur jus, seu facultatem succedendi in universa bona defuncti, tanquam hæc succedendi facultas heredi demum competenter post suscepit hereditatem: at mirari subit, quid eos moverit post aditionem heredi tribuere potestatem, quæ statim à delata hereditate ex juris vel testatoris dispositio-
ne conceditur antequam ipse declareret de adeunda hereditate voluntatem: adeo ut per aditionem, tanquam acquirendæ hereditatis modum non acquiratur succedendi facultas, sed dominii jus illud reale, quod successori relictam sibi universitatem contra cæteros vindicandi possessores faciens potestatem ab imperatore init. *Inst.* de reb. corp. & incorp. à rebus hereditariis etiam universis distinguitur ut insufructus & obligatio ab ipsis fructibus & rebus quæ debentur, in omnia quæ indominio, in bonis, vel ex bonis testatoris fuere, vires suas explicans d. l. 24. *de verb.* sign. l. 13. §. fin. l. 14. l. 15. & 19. ff. b. t.

Quid 2. hereditatis appellatione significetur, docet nos Africænus in l. 208. ff. *de verb.* sign. *bonorum* inquit *appellatio*, sicut *hereditatis universitatem* quandam ac *jus successionis*, non singulares res demonstrat: hereditas non singula corpora denotat sed universitatem bonorum & jus in quod succeditur, unde hereditas *nomen juris* dicitur l. 178. *de verb.* sign. hinc Cicero hereditatem definiens *pecuniam qua morte aliquis ad aliquem*

I N A U G U R A L I S.

aliquem pervenit passim vapulat, quod ausus fuerit universum jus & rem incorpoream dicere pecuniam: verum an jure merito carpatur? dubitari sane posset, etenim pecunia nomine non solum numerata pecunia sed omnes res, tam soli quam mobiles, tam corpora quam jura continentur l. 222. ff. d. t.

Hæc hereditas porro commoda non tantum sed & incommoda, tam onera quam emolumenta continere potest; hereditatis enim appellatione etiam comprehenditur damnsa hereditas l. 119. ff. eod. propterea absque illo corpore juris intellectum habet. l. 50. ff. de hered. pet. Quasi JCtus vellat dicere, quod juris interpretatione hereditas existere intelligatur, etiam si nulla res corporalis, quæ in oculum incurrat, in ea reperiatur; nihil tamen obstat quominus verba Papiniani in d. l. 50. generaliter accipiamus, cum de universitatis tum de hereditatis jure, utriusque enim juris nomen rectè convenire præfatis abunde declaratur: hæc de hereditate obiter præmonuisse sufficiat.

C A P U T I I.

Sequitur itaque consideranda ipsa petitio, de qua cum omnis disputatio futura est, præmittenda veniet ejus definitio: nam omnis quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur est: teste Tull. l. 1. de off. Dein pro commodiori presentis instituti declaratione, pressuri vestigia JCtorum in tñ. ff. de her. petit. videbimus cui hæc actio detur: in quem competit: quæ porro veniant in hereditatis petitionem: denique (qui illuc omittitur) finem addituri atque effectum.

Hereditatis petitionem definio quod sit actio civilis, universalis, in rem, bona fidei, qua actor declarato sibi heredi petit restituiri hereditatem cum omni causa.

Civilem dico per l. 2. ff. de fid. hered. petit. l. 2. ff. de poss. hered.

6 DISPUTATIO JURIDICA

pet. non ad differentiam earum quæ ex criminali, naturali, similive negotio proficiscuntur, sed quatenus hæc petitio ex legitimis & civilibus causis descendens, iis opponatur, quas prætor ex sua jurisdictione constituit: ad hereditatem enim vocamur ex lege xii. tabularum, vel testamento jure facto; ex Senatusconsultis, aut ex constitutionibus l. 1. l. 3. ff. b. t. adeoque causis civilem actionem producere natis §. 3. inst. de att. Quibus cum bonorum possessio, utpote Prætorii juris inventum l. 1. ff. de poss. hered. *pet.* originem non debet, dubium non est, quin & possessoria hereditatis petitio honoriarum actionum classi veniat adscribenda.

In Universali est l. 1. ff. de Rei Vind. non ex eo simpliciter, quod hic acquiratur bonorum quedam universitas, quippe quæ etiam ex titulis seu modis singularibus ad singularium rerum acquisitionem comparatis ex gr. ex empto, donato, legato &c. competere potest tot. int. de hered. vel att. vend. l. 8. C. de revoc. donat. l. 26. §. 2. ff. de leg. 1., sed præcipue quod successio referatur inter acquirendi modos sua natura universales §. fin. inst. per quas pers. cuique acq. Hi acquirentibus universale, illi non nisi jus singulare ad universitatem tribuunt: nec obstat quod hac actione, res hereditaria vel minima peti possit l. 9. & 10. ff. b. 1., siquidem id venit ex naturæ suæ universalitate, quæ petitionem semper concomitatur, licet possessor unam modum teneat, & heres agendo contra rei hereditariae possessorum non rei singularis, sed hereditatis dominium vindicat: adeo ut hanc actionem non metiamur ex eo quod possessor occupavit, sed ex agentis intentione & jure ad universitatem l. 1. §. 1. ff. pars her. *pet.*

Realem porro esse evincit 1. quidem ipsa petitionis vox; nam quemadmodum actionis nomine plerumque in personam actio intelligitur, sic etiam petitionis verbo in rem actio significari videtur l. 178. §. 2. ff. de sign. addo §. 2. inst. quib. mod. obl. toll. 2. Petitionis fundamentum, jus scilicet hereditarium, sive dominii, heres enim est dominus ita lo

I N A U I G U R A L I I S . 9

Io. universalis §. ult. inst. de hered. qual. & diff. junct. §. fin. inst. per quas pers. cuique acq. Qui in universum dominium succedere dicitur l. 70. §. 1. ff. de V. sign. & hereditatis dominus appellatur l. 48. ff. de her. inst. Dominium tamen hic in generaliori significatu accipio, quatenus saepe a Jurisconsultis usurpatur pro omni jure quo res quævis ad nos pertinent: neque enim est animus tollere discrimen hereditatis jus inter & dominii, cum in usu juris hereditatem proprie universarum, dominium vero rerum esse singularum, proinde multum differre, notius sit quam ut probatione indigeat. 3. Expressa juris authoritas, sic Paulus JCtus in l. 27. §. 3. ff. de R. Kind. in hereditatis petitio ne qua & ipsa in rem est, dolus præteritus fertur: confirmat id quoque Ulp. in l. 25. 18. ff. h.t. petita hereditatis, inquit JCtus, et si in rem actio sit, habet tamen praestationes quasdam personales.

In rem dicitur haec actio, non quod ipsa res hic conveniatur, nulla enim nobis contentio esse potest cum ipsa re, quippe quæ intellectu carens neque respondere vallet, nec quod petimus præstare, sed quod heres hic agens contra possessorem, magis tamen ipsam rem convenire intelligatur, adeo ut haec actio semper quidem in personam possessoris dirigatur, nam in rem actio est per quam rem nostram quæ ab alio possidetur, petimus. & semper adversus eum est qui rem possidet teste Ulp. l. 25. ff. de oblig. & act. sed principaliter propter rem, quam vindicatio semper sequitur absque ulla consideratione certæ personæ. 2. C. s. un. ex plur. her. cred. Quæ omnia actionem hanc sua natura non pro parte duntaxat, (ut quidem communis tenet DD. opinio) sed plane realem esse liquido satis probare putem: nihil movet rescriptum Imp. in l. 7. C. b. t. cum hereditatis petitio haud alio sensu ibi mixta personalis actio appelletur, quam quod in multis sit similis personalibus actionibus, ac plerumque sibi admixtas habeat præstationes quasdam personales d. l. 25. §. 18. ff. h.t. proinde saepe præstanda vel restituenda veniant quæ defuncti nunquam

3. DISPUTATIO JURIDICA I

quam fuerunt, tanquam hereditatis augmenta, quæ eodem jure censemur ac res a defuncto relictae, non vero ut debita ex obligatione, cum tantum sint accidentia securitatis naturam sui principalis, d. l. 25. l. 20. pr. & §. 3. ff. b. t.

Bona fidei eam statuit Papinianus in l. 42. ff. de mort. caus. donat, ubi verbis bona fidei judicio constituto haud dubie hereditatis petitionem significari, exinde patet, quod rei vindicationi singulari opponatur: accedit quod hereditatis petitioni exceptiones inesse dicantur; nam doli mali exceptio hic non desideratur sed possessori abunde consultur per officium judicis vel non opposita actione l. 38. l. fin. ff. b. t. Id autem bonæ fidei actionibus proprie convenire evidenter probat l. 21. ff. sol. matrim. libera siquidem in iis erat judicandi ex æquo & bono etiam ultra expressam conventionem potestas, nullis adstricta formulis judicis religio, quæ pro arbitrio, quid partes sibi invicem dare facere oporteret, moderabatur: aliud in stricti juris judiciis observatum, hic enim judicii præscriptæ sibi formulæ adstricto, expressæ conventionis terminos excedere nequaquam concessum: hinc in str. jur. judiciis necessario desideratae exceptiones, id est exceptionum clausulæ, actionum formulæ a prætore inserendæ, si reus tempore litis contestatae illas opposuisset. Nonnulli tamen jurisconsultorum cum hereditatis petitionem in bonæ fidei classem referre dubitarent, quod hæc qualitas actioni reali vix convenire videretur, tanquam propria actionum quæ in personam sunt & ex mutua obligatione, tandem Justinianus sublata veterum dubitatione, eam omnimodo bonæ fidei judiciis annumerandam declaravit l. 12. §. fin. C. b. t. §. 28. inst. de action. cum enim propter hereditatis augmentum & decrementum, varias præterea præstationes, quæ angustis formulæ terminis includi se non paterentur, certi nihil quod alterum alteri tribuere oporteret, præscribi posset, merito id judicis humanitati definiendum Imperator commisit.

CA-

CAPUT III.

Persona porro quæ hac actione experitur, est heres (cujus appellatione intelligimus & bonorum possessorem seu heredem prætorium, qui in effectu à priori non differt, cum in omnibus vice heredum bonorum possessores habeantur *l. 138. ff. de V. sign. l. 2. ff. de bon. poss. ac tandem consequatur per hereditatis petitionem quantum heres, licet hujus respectu civilis l. 9. C. b. t.* illius autem præatoria seu possessoria dicatur *l. 2. ff. de poss. her. petit.*) nam datur ei ad quem hereditas petinet vel ab intestato vel ex testamento jure perfecto *l. 1. & 3. ff. b. t.* dicitur *perfecto*, si enim quis ex defuncti judicio propter omissas solennitates imperfecto, petierit se declarari heredem, frustra sane erit, nisi idem sit legitimus, qui, licet jam defuncti voluntatem amplexus sit, ignorans forte testamenti vires, ab intestato hereditatem vindicare non prohibetur *l. 8. ff. b. t. & 46. ff. de bon. libert.* cum non videatur repudiasse legitimam hereditatem, qui putat testamentum valere *l. 19. ff. de in off. test. l. 97. ff. de acq. vel am. hered.* Nec refert actor suo nomine an vero per aliam medium personam heres sit factus *l. 2. ff. b. t.* dum forte personam, quæ in potestate ejus est, institutam jussit adire hereditatem; quo casu perinde est ac si ipse foret institutus *§. 3. Inst. per quas pers. cui acq. vel heredi instituto successerit*, qui heres censetur ei, cui primus heres existit. *l. 3. ff. b. t.* cum heres heredis testatoris sit heres *l. 14. C. de hered. Inst. l. 7. §. fin. ff. de acq. vel om. hered.* ac æque heres intelligatur qui per successionem vel longissimam defuncto heres consistit, quam qui principaliter heres existit. *l. 194. ff. de R. Jur. l. 65. ff. de V. sign.* Porro nihil interest ex asse quis heres sit, an pro parte *l. 10. ff. b. t. l. 1. ff. si pars her. pet.* modo per aditionem jus in re ipsis sit quæsumum, & vere heredes sint: hinc emptori hereditatis hæc actio denegatur, quia verus

heres non est, quamvis in heredis locum successerit; siquidem id factum non tam titulo universali, quam singulari ex conventione, quæ heredem efficere nequit. *l. 5. C. de Part. conv.* Utili tamen hereditatis petitione quin experiri possit, indubium est *l. 16. ff. de Part. l. fin. C. de her. vel act. vend.* idque ex æquo & bono, cum hereditatis emptor heredis vicem obtineat *l. 2. §. 18. ff. de hered. vel act. vend.* cessat tamen dicta dispositio, si agat actione cessa; per cessionem enim efficitur, ut emptor directam possit intentare actionem, ac sui uti jure auctoris. *l. 5. C. d. t.*

Hæc facultas quoque heredi fideicommissario, postquam hereditatem ex fideicommissio suscepisset, ut utiliter nemppe agat, concessa videtur *arg. l. 54. ff. h. t.*

C A P U T I V.

DImiso actore, consequens erit ut videamus, quis hereditatis petitione teneatur: & sciendum hereditatis petitionem non dari in quemvis possessorem, ut quidem in cæteris vindicationibus observatur, sed in eum duntaxat qui pro herede vel pro possessore possidet *l. 9. ff. h. t.* ut autem id sciri queat, reus sic interroganti actori respondere, possessionisque titulum edere cogitur *l. 11. C. h. t.* nam si ex titulo aliquo singulari v. g. emptionis, donationis &c. se dominum vel possessorem profitetur, haud dubie petitionem submovebit, quod intentioni actoris, qui unice contendit se declarari heredem, ac rem, quam petit, hereditariam, sive in bonis defuncti inventam, non vero suam esse (potuit enim defuncto fuisse commodata, oppignorata; vel deposita. *l. 19. ff. h. t.*) minime aduersetur, sed dominii tantum, non autem hereditarii juris controversiam velle facere videatur.

Pro herede hic possidere dicitur, qui revera heres non est, rem tamen hereditariam ex causa possidet tanquam heres

I N O A T U G U I R A U L I S .

heres civilis, vel fideicommissarius, vel honorarius l. 20.
§. 13. ff. b. t. sive bona sive mala fide l. 11. ff. b. t. Pro
possessore possidet, qui interrogatus, cur possideat, respon-
det possideo quia possideo, nullum omnino possessionis titu-
lum adducens, vel aperte injustum, qui jure nullus est,
Pr. l. 13. & §. 1. ff. b. t.

Requiritur igitur possessio, vel vera vel ficta: ex vera pos-
sessione tenentur qui per se vel per alium, hereditatem
vel partem possident, & sunt vel hereditarii corporis vel
juris possessores l. 9. l. 10. l. 13. §. 13. & passim ff. b. t. nam
qui de possessione vi dejectus est, hereditatis petitione
convenitur, quia jus possidet, quo victus cedere debet
l. 16. §. 4. ff. b. t. Similiter a debitoribus hereditariis tan-
quam juris possessoribus, hereditatem peti posse, habet
l. 12. §. fn. b. t. modo ideo solvere negent, quod heredes
se esse contendant; nam si ideo solutionem differant,
quod dubitent aut nesciant an hereditas pertineat ad pe-
tentem, nequicquam hac petitione universalis conveni-
untur debitores l. 42. cod. passuros rei vindicationem sin-
gularem l. 7. C. eod.

Fide possident, qui juris intellectu pro possessoribus
habentur; quales sunt, qui se fraudulenter tanquam pos-
sessores ignorantis debitori offerunt l. 13. §. 13. l. 45. ff. b. t.
item qui dolo fecerunt quo minus possiderent; sive dolo
desierint possidere, sive dolo possessionem admittere no-
nuerunt d. l. 13. §. 14. l. 15. §. 8. ff. eod. etenim in jure do-
lus pro possessione accipitur l. 131. l. 150. ff. de Reg. Jur.
& ideo ex SCto, quod factum est ob hereditatis peti-
tionem, perinde tenentur ac veri possessores; placuit enim
eos qui bona invasissent, cum scirent ad se non pertinere
etiamsi ante item contestatam fecerint quominus possiderent, per-
inde condemnandos quasi possiderent l. 20. §. 6. ff. b. t. Par est
conditio ejus qui rem specialem dolo possidere desit l. 27.
§. 3. ff. de R. Vind. in eo tamen dispar, quod hic non
nisi utili, hereditatis vero possessor directa actione con-
veniatur d. l. 27.

B 2

Ut

12 DISPUTATIO JURIDICA I

Ut tamen fictus possessor liberetur, si verus interveniat, ac paratus sit judicium pati vel satisfacere *l. 12. §. 14. ff. b. t. l. 95. §. 9. ff. de solut.* At si is qui dolo possidere desit, prius conveniatur, nihil ea res possessori prodest, quantumvis actor litisæstimationem jam consecutus sit *d. l. 13. §. 14. l. 95. §. 9. ff. de solut.* ratio diversitatis est, quod is qui rem nactus est, intelligatur quoque habere pretium, quod ideo rursus peti non potest, at qui æstimationem percepit, non rem habere *l. 88. de Verb. sign.* sunt nihilominus qui autumant præfatæ dispositioni locum non esse, si secundus possessor à priore rem teneat titulo oneroso, quod hoc casu regressum habiturus esset contra suum auctorem qui sic bis teneatur ad pretium & heredi & accipienti, quod bonæ fidei repugnare videretur *l. 57. ff. de R. Jur.* verum cum ipsa lex titulum onerosum inter & lucrativum non distinguat, sequi eos mihi religio est: & qui dolo possidere desit, ab herede ob suum magis dolum, convenitur, quam propter ipsa hereditatem; ut proinde male præsumatur bis idem exigi, cum subsit diversa causa.

Præterea ipsum non tantum possessorem, sed successorem ejus *universalem* quoque tenet hæc actio, sive sciat sive ignoret quæ fuerit defuncti mens *l. 13. §. 3. §. 11. b. t.* equidem, cum jus & personam defuncti repræsentet, sequitur etiam, ut actiones ejus nomine excipiat *l. 177. ff. de R. Jur. singularis*, ut emptor stricto jure & directa actione non tenetur, quippe quæ in heredem tantum datur; quia tamen heredis loco est, utilis petitio in eum competere cœpit *l. 13. §. 8. & 9. b. t.* & quidem in subsidium, si nempe non expediat peti à venditore (semper enim alienans tenetur sive mala fide, quia dolo possidere desit, sive bona fide vendiderit, ut vel pretium solvat vel actionibus cedat *l. 16. §. 5. ff. b. t.*) quod forte præsens non sit, vel non solvendo, vel modico distraxerit *l. 13. §. 4. eod.*

C A-

CAPUT V.

HAec tenus de personis; transeo ad res quæ in nostram veniunt petitionem: quales primo sunt *res hereditariae corporales*, quarum dominium vel quasi fuit penes defunctum l. 18. §. ult. ff. b. t. Licet minimæ fuerint l. 10. pr. b. t. quia hic non agitur contra eum qui simpliciter res hereditarias possidet, sed talem, qui animo universam sibi tribuit hereditatem, quamvis ex ea vel minimam tantum rem possideat, ideoque heres, qui actionem non ex eo quod possessor occupavit, sed ex suo jure metitur (ut jam antea probare occupavimus) æque totam intentione sua hoc casu complectitur hereditatem, ac si reus universam possideret: l. 1. §. 1. ff. si pars her. pet.

Venient præterea res *incorporales*, ut sunt omnia iura & actiones hereditariae d. l. 9. l. 18. §. fin. l. 16. §. 4. b. t. excipiuntur tamen servitutes, quod earum nomine nihil possit restituiri, cum personales extinguantur cum persona defuncti, & prædiorum seu reales servitutes propria actione vindicentur l. 19. §. 3. ff. b. t. l. 2. ff. si serv. vind.

Competit porro hæc actio non solummodo pro rebus hereditariis, quæ in defuncti dominio fuere, verum etiam pro non hereditariis, quarum tamen periculum ad heredem spectat, ut sunt res defuncto pignori datæ, commodatae vel deposita l. 19. p. b. t. Quales vulgo dicuntur in hereditate repertæ; etenim cum repetenti domino ab herede sint restituendæ, ejus quoque interest hasce res, utcunque alienas, habere salvas. l. 19. ff. b. t.

Vindicantur præterea hac petitione non modo ea quæ fuerunt in hereditate tempore mortis defuncti, sed etiam augmenta quæ hereditati quavis ratione postmodum accessere, ex ipsa tamen hereditate l. 20. §. 3. ff. b. t. ut res per hereditarios servos stipulando vel alias quæsitæ l. 32. ff. b. t. l. 33. §. 2. ff. de acq. rer. dom. prætia rerum ex hereditate distractarum l. 16. §. 1. l. 20. §. 17. l. 25. §. 18. b. t. Idque ju-

14 a DISPUTATIO JURIDICA I

re singulari quo pretium in hoc judicio succedit in locum rei l. 22. h.t. Nisi tamen rescissa venditione id restituere vendor coactus sit l. 20. §. 18. & 19. ff. h.t. Item pecunia a debitoribus hereditariis exacta l. 25. §. 18. l. 16. §. 1. h.t. Res denique quae hereditatis causa paratae sunt, ut mancipia, pecora, & id genus alia; modo hac intentione comparata, ut hereditati servirent, & consilium eventus sequatur, si nempe ea sic emi interfuerit, ut maxime ex pecunia non hereditaria l. 20. pr. h.t. Si enim illa emi non fuerit ex usu hereditatis, nequaquam venient in hereditatis petitionem, licet ex nummis hereditariis d. l. 20. §. 1. h.t.

Præcipue inter, quæ hereditatem augment, accessiones reputantur fructus l. 20. §. 3. 12. ff. eod. sive ante sive post hereditatem aditam superveniant d. l. 20. §. 3. omnes tam civiles quam naturales vel industriaes nullo discrimine restituendi l. 25. §. fin. l. 26. l. 27. l. 29. ff. h.t. extantes fuerint, an consumpti haud refert, modo de consumptis bonæ fidei possessor, qui ex justa & probabili causa se heredem arbitratur, factus sit locupletior l. 40. §. 1. ff. h.t. censuit enim senatus bonæ fidei possessores esse condemnandos usque eo dumtaxat quatenus locupletiores ex ea re facti essent l. 20. §. 6. l. 22. ff. h.t. Neque igitur tenentur si quid perdidierunt vel dilapidaverunt, dum re sua se abuti putant l. 25. §. 11. ff. h.t. Locupletior autem factus censetur, si quid ex hereditate vel ejus occasione possessor in res suas convertit d. l. 25. §. 11. 12. & seqq. h.t. Quod vero possessor hic cogatur restituere quæ ex consumptis fructibus lucratus est, hoc inde venit, quod in hereditatis petitione fructus & lucrum inde superest augeant hereditatem; aliud in rerum singularum petitione observatur, ubi fructus non considerantur tanquam pars rei, sed præstandi judicis officio, quare etiam b.f. possessor ibi lucratur fructus si eos consumendo locupletior sit factus §. 25. inst. de R. divis. l. 4. §. 2. ff. fin. regund. At possessor qui in mala fide est sciens rem ad se non pertinere, omnes fructus indistincte præstat, in tantum

tum ut de non perceptis, qui tamē honeste percipi potuerunt, teneatur *l. 25. §. 4. ff. b. t. l. 33. l. 62. ff. de R. Vind.* (plane in inhoneste & turpiter quæstis, quæ similiter restituti subjacent *l. 27. §. 1. ff. b. t.*) pat est utriusque possessoris conditio, ne aliquin honesta interpretatio non honesto quæstui lucrum possessori faciat *l. 52. ff. b. t.*) utique negligentia malæ fidei possessoris petitori nocere non debet, quo minus consequatur, quam consequi potuisset, si ipsi uti frui lieuisset; imo quod domino fructus percepti restituendi sint, licet ipse eos percipere non potuisset *l. 56. ff. b. t.*

Quod autem diximus b. f. possessorem non teneri ad restituionem, nisi quatenus locupletior factus est, procedit in eo possessore, cui nondum mota est controversia; nam protinus a lite contestata seu simulac heredis interpolatione scivit injustum se esse possessorem, tali æquiparatur, qui jam ab initio malam habuit fidem, adeo ut post hereditatem petitam omnes pares sint et quasi prædones teneantur *l. 25. §. 7. l. 31. §. 3. ff. b. t.* Ut autem quis locupletior factus censeatur, videtur spectandum tempus litiscontestatæ *d. l. 25. §. 7. l. 40. pr. b. t.* usque ad rem judicatam, tanquam (ut vulgo loqui amant) terminum ad quem, eoque sensu accipiendum illud Jurisconsulti in *l. 36. §. 4. ff. b. t.*, *tempus rei judicatae spectandum esse*: Quamdiu enim sub judge lis est, plerumque evenire solet ut lucri vel emolumenti quid hereditati accedat, idcirco *Paulus in d. l. 36.* optime statuit tempus sententiae, cum semper fere eveniat, ut id tempus spectandum sit: Quid si forte a contrario post litem contestatam hereditati aliquid decresserit? id heredi haud nocere, sed possessoris damno cedere juris ratio suadet, cum unicuique sua mora, noceat *l. 173. §. 2. ff. de R. Jur.* Porro fructus non tantum, sed & fructuum usuræ veniunt: fructus intellige quos possessor distraxit, & in sortem redigit, ut usuræ inde percipi potuerint, siquidem ipsa fructuum corpora usuræ non recipiunt *l. 3. §. fin. ff. de R. Jur.* & fructuum quidem ante, non vero

vero post litem contestatam perceptorum præstantur usurae *l. 51. §. 1. ff. b. t.* Ratio diversitatis hæc est, quod ante litiscontestationem fructus percepti hereditatem augent, & principaliter cum hereditate petantur *l. 20. §. 3. b. t.* post autem supervenientes hereditati non imputentur, æstimandi tanquam accessio judicis officio præstanda, ulterioris accessionis (qualis usura habetur) plane impatiens: hæc de fructuum usuris.

Restat paucis videndum quid juris sit in usuris ipsarum rerum hereditariarum; sciendum illas æque præstari oportere, ac fructus, quorum vicem obtinent *l. 34 ff. de usur.* Requiritur tamen, ut possessor eas percepit ex pecunia hereditaria; nam si inventam in hereditate pecuniam intactam reliquit, possessorem in usuras convenientendum esse negat Papinianus in *l. 20. §. 14. b. t.* Neque immerito, cum pecunia res sterilis sit, usuræ præterea odiosæ habentur: & licet possessor pecuniam sub usuris credere potuisset, suo tamen periculo id facere non tenetur *l. 62. pr. ff. de Rei vind.* Quid si possessor res hereditarias venderit? bonæ fidei possessor redactæ inde pecuniæ usuras ante moram non præstat *l. 20. §. 6. 11. 12. ff. b. t.* Neque etiam malæ fidei possessor, quia hoc casu ipsæ res & fructus earum in hereditatis petitionem veniunt, nisi forte res steriles fuerint vel tempore periturae & actor pretia cum usuris petierit *d. l. 20. §. 12. 16. b. t.*

Non aliter vero restituendi veniunt fructus, quam quatenus supersunt deductis impensis, quas quivis tam b. quam m. fidei possessor, fructuum quærendorum, cogenitorum, conservandorumque gratia fecit, *l. 36. §. fin. ff. b. t.* Impensis in rem factas quod attinet, & istæ deducuntur, nam quemadmodum in singulari vindicatione restitutio fit deductis ante impensis in rem factis, sic quoque possessor evicta hereditate servat sumptus in res hereditarias factos, idque vel judicis officio *l. 38. ff. b. t.*; vel ope exceptionis doli mali, re interim retenta *l. 48. ff. de R. Vind. l. 14. ff. de dol. mal. & met. exc.* nam si sponte rem tradidit non deductis

deductis impensis, nulla in jure ei actio prodita, qua sumptus consequatur: Circa tamen impensarum deductiōnem differt possessorum conditio; qui enim in bona fide est, quasvis impensas imputat, necessarias, utiles indistincte, licet res in quam factae melior non exstet l. 38. ff. b. t.; etiam voluptuarias l. 39. eod. quibus species duntaxat ornatur & res amænior redditur, cum cæteris res vel melior efficitur, vel peritura aut deterior futura servatur l. 479. ff. de V. sign. In malæ fidei possessoris persona necessariarum quidem & utilium ratio habetur, haud aliter tamen, quam si res inde melior exstet d. l. 38. b. t. voluptuarias prædo tantum tollit, si id sine rei læsione fieri pos sit d. l. 39. insin.

Venit denique in hac actione dolus, culpa & casus l. 13. §. 2. & 25. §. 2. ff. b. t. Dolum & culpam m. f. possessor semper praefat tam ante quam post item contestatam d. l. 25. §. 2. de culpa b. f. possessor non tenetur, nisi post item contestatam, quando & ipse prædonis jure censeri incipit l. 25. §. 7. l. 31. §. 3. ff. b. t. etenim b. f. possessor ante litiscontestationem dol vel culpas nomine, dum rebus propriis se abuti arbitratur & quasi rem suam neglige, nihil imputari potest, d. l. 25. §. 11. l. 31. §. 3. eod. De casu fortuito b. f. possessor non tenetur, nequidem post item contestatam l. 40. pr. b. t. cum res pereat suo domino: idem videtur dicendum de simpliciter m. f. possessore per l. 62. ff. de R. Vind. nam sur & manifestus prædo omnimodo rei interitum præstant l. 19. §. 2. ff. eod. Quia semper in mora sunt, quamdiu res domino non offeratur l. 8. §. 1. ff. de cond. furt. Unico sane casu aliis quoque possessor de casu fortuito tenetur, si nimis res post acceptum judicium periit, cum eodem modo apud actorem, si ei restituta fuisset, non perierisset. l. 15. §. fin. ff. de R. Vind.

C A P U T . VI.

REliquum est ut videamus quis heredis sit scopus, petitionisque effectus: traditæ superius definitioni adjectimus, intentionem actoris hanc esse, ut sibi heredi declarato hereditas restituatur, judicis scilicet definitio-ne; haud longe a via digrediar, si hisce quedam in-textam de ipso petitionis judicio, cuius formam aliam vidit antiquitas, alia posterior ætas usa est; olim enim hereditatis petitionem ex iis causis fuisse, de quibus centumviri cognoscerent, præter JCtos in l. 13. l. 17. ff. de inoff. test. & Justinianum in pr. l. 12. C. de hered. petit., testatur illud Ciceronis in orat. pro Cæcina L. Crassus... judicio centumvirali hanc sententiam defendit, *E* facile, cum contra eum prudensissimus homo Q. Mucius diceret, probavit omnibus M. Curium qui heres esset institutus ita, mortuo posthumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. & Jul. Paul. l. 5. sent. tit. 16. *J*udex iustelaris itemque centumviri, si alter de rebus hereditariis vel de fide generis instrui non possunt, poterunt de servis hereditariis habere questionem: confirmat id autho-ritas Valerii Maximi l. 7. cap. 7. ubi author sic loquitur cum improbissimis enim heredibus de paternis bonis apud cen-tumviro contendit, omnibusque non solum consiliis, sed etiam sententiis superior decessit: adde F. Quint. orat. l. 3. cap. 10. &c l. 7. cap. 4. sit hic mentio consiliorum! sciendum cen-tumviro, ut hæc judicia exercent, a decemviris stili-tibus judicandis cogi consuevisse, dein in quatuor con-silia distributos, postquam in basilicis (quarum ille-stres fuere Porcia & Julia) rotidem occupassent tribuna-lia, de centumviralibus controversiis simul eodem tem-pore cognovisse: Hinc Plinio l. 4. epist. 24. quadruplex judicium appellatum; coique non dubium est quin refe-rendum sit illud quod de divisis tribunalibus & variis ju-dicium sententiis habet Papin. in pr. l. 76. ff. de leg. 2. Di-citur

citur præterea *hasta* *judicium* Val. Max. l. 7. cap. 8. *hasta* quoque *centumviralis* Suet. in Aug. c. 36. Martial. l. 7. expigr. 62.

Hunc minatur adhuc centum gravis hasta virorum,

Hunc loquitur grato plurimus ore chens.

Centumvirale appellatum à *centumviris* auctore *festo*, & licet hi quinque amplius quam *centum* fuerint, tamen quo facilius nominarentur, dicti sunt *centumviri* pristina appellatione semper retenta, quamvis jam *Plinii* ætate eorum numerus vel ad *centum* octoginta excrevisset l. 6. epist. 33. postea tamen, cum jam sub *Vespasiano*, teste Suet. in ejus vita cap. 10., *centumvirales* causæ aliis extra ordinem dijudicandæ mandarentur, paulatim vilescere cœpit hæc *centumviralis* judicij authoritas; tandem, mutato veteri procedendi ritu, priscique *judiciorum* ordinis solennitatibus sublatis, plane evanescere; adeo ut jure novo cuivis competentis fori & ordinario judici de hereditariis cæterisque gravioribus causis cognitio competat: ad signum redeo.

Actor hic itaque duo intendit 1. ut per *judicem* declaretur heres 2. ut *hereditas* cum omni causa sibi restituatur: satis id liquet ex natura realis actionis, per quam cum res nostra vel nostrum quid petitur l. 25. ff. de oblig. & act. l. 2. ff. de in lit. *Jur.*, consequens etiam est, ut actor prius intendat rem quam alter possidet, suam esse, dein eam petat, id est postulet ut res sibi restituatur; hinc *judicis officium* in vindicationibus duabus constat partibus; prima pronuntiat de actoris dominio seu jure, secunda de re restituenda l. 35. §. 1. ff. de *R. Vind.* §. 2. *Inst. de off. jud.*

Utrumque igitur hac petitione actor consequitur, si heredem, se esse probaverit; in quo si defecerit, nequicquam desiderabit qua tali sibi restitui hereditatem, sed *judicis* è contra erit pro reo *judicare*, ac possessorum, convenienter ejus intentioni, absolvere, si alia defensione non utatur, quam quæ hereditatem petitoris

rem

G 2

Ex Chigi. Exscript. HARRA. Academia
Typographi. cl. loc. xciii.

esse simpliciter neget; quod si insuper contra vindicet, sibique hereditatis dominium afferat, judicantis quoque officium erit secundum possessorem de hereditate, si vicissim suam probaverit, pronunciare: hanc mutuam vindicationem veteribus olim in more positam fuisse, indicant priscae petitionum formulæ: qualis est quæ exstat apud Cic. in orat. pro Muræ, fundus Sabinus meus est. Immo meus. Eo etiam pertinet illud Plauti in Rudent. act. 4. Sc. 3.

Gr. —— Neque ego istas vostras leges Urbanas scio,
Nisi quia, hunc meum esse dico. Tr. & ego item ajo
esse meum.

Honestius siquidem videbatur, quod possessor rem defenderet propter jus dominii quod in re habebat, quam ob id duntaxat, quod actori jus agendi deficeret: semper tamen necessariam fuisse contrariae vindicationis formulam nec jus nec ratio suadent, cum reo, ut possessio penes eum maneat, sufficiat, actorem in probatione deficere. l. 2. C. de Probat. l. fin. C. de R. Vind. l. 4. C. de edendo. arg. l. II. ff. de jurej. §. 4. Inst. de interd.

COROLLARIA.

I.

Negotiorum gestor tenetur de culpa levissima.

II.

Vendiditor ad precisam traditionem cogi nequit.

III.

Qui credit in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

IV.

Filius familiæ de adventitî plenis testari non potest.

V.

Donatio omnium bonorum valet.

VI.

Actiones sua natura mixta tam in rem quam in personam non dantur.

F I N I S.